



Apoc. 2. n. 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos; & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & invenisti eos mendaces.

Num. 3. Et patientiam habes, & sustinuiti propter nomen meum, & non defecisti.

VERSIONES.

Arias num. 2. Laborem, & tolerantiam tuam, &c. & invenisti eos mendaces, & portasti.

Tygurina. Laborem, & patientiam tuam, &c. eos mendaces tulisti.

Pagnin. Pertulisti.

Victorinus. Quia non potes portare malos.

Arabicus. Et quod exploraveris qui se dicunt Apostolos esse, & compereris eos mendaces.

Syrus num. 3. Et tolerantia est tibi, & tulisti propter nomen meum, & fatigatus non es.

Arabicus. Et sustinueris, me in hoc que sis mansuetus, & toleraveris eos, propter nomen meum, ac sis in hoc fatigatus.

Tygur. Vatabl. Et laborasti propter nomen meum.

Codex Albini. Propter nomen meum & Roberti. laborasti, vel lassatus & fatigatus, sed non defecisti.

EXPOSITIO II

33. SCIO, Scientia approbationis: Deus enim dicitur scire quae approbat, nec scire quae reprobat: unde ultimo die dicitur Matth. 25. est reprobis: Nescio vos Matth. 25. num. 12. Ac proinde scio approbando opera tua bona, ad Ecclesiae utilitatem conducentia, quae faciebas antequam charitas tua refrigesceret: Et laborem tuum, pro praedicatione Evangelii, ac in salutem animarum impensum. Et patientiam tuam: in adversitatibus tolerandis & laudat in hoc Episcopo laborem, & patientiam: quia haec duae virtutes maxime propriae sunt Episcoporum, ut nulli labori partem pro suorum salute, eorumque infirmitates patienter sustineant.

Et quia non potes sustinere malos. Modò commendat Episcopum à detestatione malorum; quia publicos peccatores sufferre non valet, quin aut emendet, aut ab Ecclesia expellat. Et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse. Cum multa diligentia explorasti, ac examinasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & deprehensos ut mendaces, ac Pseudo-Apostolos redarguisti, & expulisti. Quidam codices, ut Tygurina, Arias, & alii, hic ponunt; & tulisti, seu pertulisti. Tamen hoc nec est in nostra Vulgata, nec in emendatis Codicibus.

Et patientiam habes. Forti, & constanti animo sustinens tibi illata adversa à Pseudo-Apostolis Propter nomen meum, id est, propter me, propter meum Evangelium; seu pro nomine meo propagando, ac defendendo, & fit a latio ad id, quod dicitur Actor. 5. n. 41. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu coniumeliam pati. Et pro magna laude additur: Et non defecisti, nec spiritualiter, nec corporaliter: Nam patienter quascumque ærumnas à Pseudo-Apostolis illatas suportasti: & etiam propter eas gregem tibi commissum corporaliter non deruisti, sed semper sana, ac bona doctrina imbuisti. Aliqui Codices, ut Arabicus, lassatus seu fatigatus es: legendum est, juxta Codicem Aldini Venetiis anno 1518. vel Paris. anno 1546. Lassatus, vel fatigatus es, & non defecisti.

QUESTIO V.

De laudibus Episcopi Ephesini, de ejus operibus, laboribus, ac patientia.

Venerat Dominus reprehensus hunc Episcopum, ut patet n. 4. & tamen ad ejus laudibus inchoat sermonem: Scio opera tua, laborem, & patientiam tuam. Et tunc post tot encomia severè arguitur: sæpius laudatur, ut laudibus quodammodo delinitus, patienter increpationem audiens toleret: qua dexteritate usus est Daniel, dum in exordio sic totus melleus, ut annuntiet severissimam sententiam Regi Babylonico, auditio somnio ejus: Hec est, ait, interpretatio sententia Altissimi, quae pervenit super Dominum meum Regem. Ejicient te ab omnibus; cum bestis ferisque eris habitatio tua, & fenum ut bos comedes. Daniel. 4. num. 22. Quid suavius, quid blandius verbis illis, nimirum: Pervenit super Dominum meum Regem? Quid durius, quid severius illis ultimis: Cum bestis, ferisque eris habitatio tua, fenum ut bos comedes? Hoc est viri Religiosi ingenium, ut totus emollecat in exordio, ut inde rigorosa, & aspera, quae dicit, suavius, & lenius accipiantur. D. Gregor. homil. 11. in Ezechiel Peritus enim medicus ait, vulnus secundum videns, sed agrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, & subito percussit. Prius blanda manu laudes posuit, & postmodum ferrum increpationis fixit.

Et primò laudans Episcopum Ephesinum, ait, Scio opera tua. Quae verba commentans Joachi

Joach. Joachimus Abbas; sic ait: Possumus hoc simpliciter accipere, ut intelligamus dictum propter eos, qui negligunt iussa Dei: arbitantes, non esse curam Deo de operibus, sive bona sive mala, ad reddendum unicuique iuxta opera sua; parvipendentes illud quod scriptum est Psal. 13. n. 2. Dominus de Caelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Unde de quibusdam dicitur Psal. 9. n. 7. Et dixerunt: non videbit Dominus, nec inteliget Deus Jacob. Ecce cur ait, scio opera tua, ut indicaret singularem bonorum operum habere providentiam ut ea præmio muneraret, corona donaret, ac gloria subimaret.

Secundò. Post bona opera laudat ejus laborem, ex quo bene ait Haymo: Quia homo operans labora, deo post opera virtutum, recte etiam subiungitur & labor: quia sancta Ecclesia, sicut magna est in operibus, ita magna est & in labore. Immediatè post opera bona, ad ungit laborem: cur non unum ab alio præcindit, sed utrumque connectit, ut forti, & constanti simo animo, quia in operibus bonis non ut labor est impendendus, & quia qui bene operatur, multos labores, ac diversitates contra se insurgentes debet sustinere, ad illasque se preparare.

Tertiò. Post laborem, patientiam commendat, ut rectè notavit Richard à S. Victore, scio opera tua bona, ait, in necessariis tuis exhibita proximis: laborem tuum in afflictione corporis: patientiam tuam in tolerantia cordis: & haec tria ponit. Sunt enim quidam, qui bona à Deo accepta proximis non disperant, sed corpus delicatè nutriendo, minime laborant; & cum quid ad verum contigerit, impatientes sunt qui cum distributione bonorum suorum corpus affligunt, sed in adversis patientiam ferre non novent: sed de his omnibus iste laudatur, scio, quia bona accepta libenter indigentibus erogas, & in affligendo corpus laboras, & quod his excellentius est, in adversitatibus patientiam servas. Post laborem in adversis ejus commendat patientiam in persecutionibus: & optime quidem: parum prodest, laboribus affligi, molestias pati, si in patienter adversa sustinentur: nam quidquid meriti ex eis lucrari potest, totum deperditur.

Nam ut rectè aiunt Ambrosius & Ansbertus. Siquidem, quod magna laus Ecclesiae in operibus, ac laboribus; sed magnificentior predicatur in patientia, quia cunctas custodit virtutes, cunctosque tolerat labores, opera enim, & labores communia sunt bonis, & malis, patientia autem vera singulare manus electis collatum, quae si desit, multi labores, multaque opera in nihilum rediguntur. Post encomia bonorum operum, ac laboris in vinea Domini plantanda, statim ejus patientiam celebrat, ac extollit Dominus: quia omnium virtutum, quae replenderunt in Episcopo, in bonis operibus edendis, ac in laboribus sustinendis coronam, ac custodem esse patientiam, indicat; ipsa virtutibus dat decorem, ac valorem, & sine ipsa, multi labores, multaque bona opera in nihilum rediguntur.

Discipulis suis ait Christus D. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21. n. 19. Quae verba præclare commentantur à D. Gregorio hom. 35. in Evang. Per patientiam igitur, ait, animas nostras possidemus, quia dum nobismetipsis dominari dicimur, hoc ipsum incipimus possidere quo sumus. Idcirco autem possessio animarum solvitur in Apocalypsim, Tom. 1.

ma in virtute patientia ponitur, quia radix omnium, custoque virtutum, patientia est: Patientia vero est, aliena mala æquanimitè persequi, contra eum quoque in mala irrogat, nullo dolore morderi. Sicut impatiens animam videtur non possidere sic enim operatur, ac ille qui ea caret, nec affectus, ac appetitus suos refrænare: ac proinde anima sua à vitio iræ ac vindictæ, & non à se ipso possidet, ac proinde quascumque virtutes habeat, ipsa ira ac impatientia deperdit. E contra verò patiens sui ac animæ suæ obtinet dominium, scitque motus suos moderari, regere ac flectere, quomodo ei libet: sicque hac regali patientia, tanquam fortissimo muro, retinet conservat, ac custodit suæ animæ dominium, ejusque virtutum ac donorum pulchritudinem, ac decorem: ex quo conjice, quantum lucrum ex patientia proveniat, ut præclare notavit Cajet. ad prædicti Lucae verba: Eximium documentum possidendi non agros, non opes, non regna, sed quod majus est omnibus, proprium animam, virtute patientia.

Magnis elogiis extollit Paulus charitatis nobilitatem 1. Cor. 13. n. 4. dicens: Charitas patientis est, benigna est; charitas non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambiosa, non querit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Apostolus multus est ut celebret charitatis encomia: & meritò sanè. Maximè tamen expendenda est methodus Pauli: nam charitatem à patientia commendare inchoat, & ejus decantationem in eadem virtute patientiæ terminat: nam primò sic sermonem incipit: Charitas patientis est: & metam imponit, omnia sustinet: Quid habet patientia cum charitate: Charitas omnium virtutum Regina, sine ipsa reliquæ virtutes tanquam sine vita habentur: cur ergo Apostolus charitatem celebrans, patientiæ utitur argumento, ejusque elogia inchoat, ac terminat patientia: ut, de notaret, quod cum charitas omnium virtutum habeat principatum, à patientia obtinere totam vim suam, ipsaque muniri ad sui custodiam, ac defensionem, Tertullian. lib. de patientia c. 12. Nam dilectio, ait, summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, cujus nisi patientia disciplina eruditur. Dilectio, inquit magnanimitas est, ita patientiam summi. Benefica est, malum patientia non facit. Non emulatur, id quidem patientia proprium est. Non protervum sapit, modestiam de patientia trahit. Non inflatur, non protervius, non enim ad patientiam pertinet. Nec sua querit, suffert sua, dum alteri profit, nec incitatur. Ceterum quid impatientia reliquisset? ideo inquit dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, utique quia patiens. Perpende singula & reperies charitatem in se habere imbibitam patientiam, tanquam si esset una, & eadem virtus cum illa: non mirum, quod charitas sit virtutum Regina, quæ ita secum associatam habet patientiam, quæ custoditur, ac municitur.

Patientia virtutes custodit; & conservat.

Magnum lucrum ex patientia.

Cajet.

42.

Charitas virtutum regina patientia municitur.

Tertul.